

sancti Antonini et sancti Seueri, Pecorari et Palantas cum proprio Guntelmi et Paderno, Trauano cum Alfiano et Ancariano et ecclesia sancti Saluatoris in Clanzano, Rouaclas et ecclesia in honore sanctae Resurrectionis cum his, quae ad eam pertinent, Auliano cum proprio de Fulcario et Teutrudę, Cassianum ac Casellas, Sorlascum, Luliatricam, Gardam cum Aderbassio, Fraxenetum et Portum Mantuanum, proprium quoque, quod Sabbatinus Ueneticus in Comaclo sancto Columbano tradidit, propriumque, quod Teodoldus et Teotboldus episcopi ipsi monasterio contradiderunt, xenodochium etiam in Papia cum omnibus ad eum pertinentibus, Camarianum, Perledum, Medi, Farinariam, Crucem atque Ienuam. Omnia igitur hæc, quę superius inserta sunt, sicut ad eundem [sanctum]^b et uenerabilem locum delegata et tradita noscuntur^c, ita cum omni integritate, cum omnibus ad se pertinentibus, cum massariciis uel familiis seu cunctis adiacentiis sub omni integritate absque ulla diminutione siue subtractione, et queque deinceps ipsi sana industria uel quorumlibet Christianorum legitima collatione adquirere potuerint, inconuulsa et perpetua stabilitate concedimus haberi, possideri et ad uotum ipsorum religiose rationabiliter et Deo placite ordinari. Igitur quia pro summa rei publicae necessitate pacisque tranquillitate quandam diuisionem de rebus iam fati coenobii ad oram fieri permisimus, iubemus atque omnimodis^d statuimus, ut de illa parte, quam in usus monachorum delegauimus, interim dum Domino opitulante ad pristinum reuocetur statum, nullus iudex publicus, nullus missus [dis]currens aliquam saepefatis monachis eorumque familiis uiolentiam uel inquietudinem iniuste infer[re p]resumat, quos cum omnibus rebus et familiis sub nostra nos constat recepissee tutione et mundeburdo, nullas quoque reddibitiones aut publicas excubias, nullas paratas uel angarias facere siue persolvere cogantur, nullas pontium nouas uel ueteres structiones seu restructiones^e agere uel renouare compellantur. Quae nos uniuersa idcirco concessimus et perdonauimus, ut omnipotenti Domino pro nostra et coniugis nostrę salute totiusque imperii nostri augmento et stabilimento deuotius, placidius^f ac delectabilius omni exclusa necessitatis occasione ualeant supplicare. Vt autem hæc nostre cessionis^g prae-

^b) ergänzt nach den Nachurkunden (vgl. S. 145). ^c) korr. aus noscantur. ^d) vorh. a. getilgt. ^e) folgt uel ausradiert ^f) korr. aus placidus. ^g) korr. aus cessione.